

Imperas nobis et in hoc genere continentiam. Da quod jubes, et jube quod vis. Tu nosti de hac re ad te gemitum cordis mei, et flumina oculorum meorum. Neque enim facile colligo, quam sim ab ista peste mundatior, et multum timeo occulta mea, quae norunt oculi tui, mei autem non. Est enim qualiscumque in aliis generibus tentationum mihi facultas explorandi me; in hoc paene nulla est. Nam et a voluptatibus carnis, et a curiositate supervacanea cognoscendi, video, quantum addsecutus sim posse refrenare animum meum, cum eis rebus careo, vel voluntate, vel cum absunt. Tunc enim me interrogo, quam magis minusve mihi molestum sit non habere. Divitiae vero, quae ob hoc expetuntur, ut alicui istarum trium cupiditatum, vel duabus earum, vel omnibus serviant, si persentiscere non potest animus, utrum eas habens contemnat, possunt et dimitti, ut se probet. Laude vero ut careamus, atque in eo experiamur, quid possumus? Numquid male vivendum est, et tam perditae atque immaniter, ut nemo nos noverit, qui non detestetur? Quae maior dementia dici aut cogitari potest? At si bonae vitae bonorumque operum comes et solet et debet esse laudatio, tam comitatum ejus, quam ipsam bonam vitam deserere non oportet. Non autem sentio, sine quo esse aut aequo animo, aut aegre possim, nisi cum abfuerit. Quid igitur tibi in hoc genere tentationis, Domine, confiteor? Quid, nisi delectari me laudibus; sed amplius ipsa veritate, quam laudibus? Nam si mihi proponatur, utrum malim furens, aut in omnibus rebus errans ab omnibus hominibus laudari; an constans et in veritate certissimus ab omnibus vituperari, video quid eligam. Verum tamen nollem, ut vel auget mihi gaudium cujuslibet boni mei suffragatio oris alieni. Sed auget (fateor) non solum, sed et vituperatio minuit. Et cum ista miseria mea perturbor, subintrat mihi excusatio, quae qualis sit, tu scis, Deus; nam me incertum facit. Quia enim nobis imperasti non tantum continentiam, id est, a quibus